

rum substantiam attendas, sive ratione *ϕύσεως* consideres: Congruebant enim cum lege nature, quae ipsa quoque divina est. Mala vero Deoq; displicentia: si personas, si modos factorū, sive operum fines consideres, & ea ratione *πύσεως* expendas.

### QUAESTIO III.

Quibus de causis facienda sint bona opera.

60. Pontificij causam, propter quam facienda sint bona opera, statuunt meritum, quo acquiramus justificationem & salutem. Sed quid de isto *ἀνατιώ* sit statuendum, disputatione undecima precedente fuit abundè demonstratum.

61. Confessio nostra hoc in Articulo sexto refutat falsam hanc causam, partim à proprio officio fidei, quod est remissionem peccatorum gratuitam apprehendere: partim testimonio scripturae Luc. 17. 10. Si omnia feceritis: Dicite, servi inutiles sumus: partim denique, autoritate Ambrosij in princ. Commentariorū in 1. Cor. 1. scribentis: Hoc constitutū est à Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorū.

62. Ceterum quoad impulsivas causas, Confessio nostra facienda esse bona opera asserit, propter voluntatem Dei, cuius exactissimam descriptionem nobis exhibet Decalogus. SUNT